# FLORA.

## 64. Jahrgang.

**No. 34.** **Regensburg, 1. Dezember** **1881.**



**Inhalt.** W. Nylander: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam. — C. Warnstorf: Brachythecium Venturii nov. spec. — Literatur. — Einläufe zur Bibliothek und zum Herbar.


## Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.

Continuatio octava et tricesima. — Exponit W. Nylander.

### 1. *Collemopsis vermiculata* Nyl.

Thallus fuligineo-niger vel fusco-nigricans vel passim cinerascens, opacus, rugulosus, sat tenuis, areolato-diffractus, deplanatus; apothecia fusca (passim obscure rufescentia), innnata, plana vel concaviuscula (latit. 0,2—0,5 millim.); sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,017—23 millim., crassit. 0,007—0,010 millim., paraphyses graciles. Iodo gelatina hymenialis dilute coerulescens, dein lutescens.

Super saxa dolomitica ad Budapest (Lojka).

Maxime accedens ad *C. caesiam* Nyl., sed thallo magis deplanato et distinctius tessellato-diffracto etc.[1])

### 2. *Lecanora Budensis* Nyl.

Thallus olivaceus tenuis inaequalis areolato-diffractus (crassit. circiter 0,2 millim.), ambitu non effiguratus; apothecia badiofusca (latit. 0,5 millim. vel minora), margine thallino integro

[1]) *Collemopsis diffracta* (Nyl. sub *Collemate* in Prodr. Gall. p. 20) etiam in Transsylvania obvenit (ex collect. Lojka).




Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0531-7

cincta, demum convexula margine thallino excluso; sporae 8nae dilute obscuratae, oblongae, 1-septatae, longit. 0,014—22 millim., crassit. 0,004—6 millim., epithecium fuscescens e clavis paraphysum gracilescentium. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein fulvescens.

Super saxa calcarea prope Budapest (Lojka).

Est species facie accedens ad *L. Zwackhianam* Kphb., Zw. L. 256, a qua distinguitur jam sporis oblongis (in *L. Zwackhiana* sunt ellipsoideae, longit. 0,014—15 millim., crassit. 0,008—0,010 millim.). Sterigmata 2—3-articulata, articulis non turgidis; spermatia bacilliformia, longit. 0,0035 millim., crassit. 0,0005—6 millim. — In *L. olivacea* Duf. thallus subsimilis, sed ambitu subeffiguratus. — *R. crustulata* Mass. sporis „subincurvis" differe videtur (in Arn. Fora 1872, p. 40, sub eo nomine res aliae commixtae, nam spermatia indicantur duplo majora quam sunt in *L. Budensi*). — In Arn. L. 536 datur var. *sublobata* Arn. differens a *L. Budensi* thalli ambitu hypothallo nigro cincto, sporis brevioribus, longit. 0,011—15 millim., crassit. 0,005—6 millim. (ad septum constrictiusculis), articulis sterigmatum turgidulis, spermatiis longit. 0,0035—45 millim., crassit fere 0,001 millim. Sporae rectae (minime „non raro curvulae"). Haec *L. sublobata* (Arn.) in Carniola calcicola (Lojka).

### 3. *Lecanora subplanata* Nyl.

Similis (etiam reactionibus: thallo CaCl aurantiaco-suberythrinose reagente) *L. subradiosae* Nyl., sed thallo subplanato, crebre rimoso-areolato.

Supra saxa arenaria prope Trikuli et porphyrica prope pagum dictum Mehádia in Hungaria (Lojka).

Thallus crassitiei 0,4—0,7 millim., determinatus.

### 4. *Lecanora exspergens* Nyl.

Thallus glaucescens vel glaucescenti-flavidus, opacus, squamuloso-granulatus, adnatus, squamulis minutis demum majoribus sejunctis (latit. 1 millim. vel minoribus, crassit. fere 0,2 millim.), margine subcrenatis, saepissime confertis contiguis et facile sorediosis aut plus minusve sorediosis, hypothallus niger; apothecia carneo-testacea (rarius livescentia), sparsa vel aggregata (latit. 0,8—0,9 millim.), margine thallino demum subcrenato cincta; sporae 8nae ellipsoideo-fusiformes, longit. 0,008—0,012 millim., crassit. 0,0035—45 millim., epithecium granulosum,

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0532-3

paraphyses mediocres. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein fulvescens.

Supra saxa quartzoso-trachytica et arenaria in Transsylvania (Lojka).

Species distinctissima e stirpe *L. variae*. Spermatia leviter arcuata, longit. 0,014—19 millim., crassit. 0,0005—6 millim. Thallus K vix flavescens. Variat hypothallo (nigro) non visibili. Variat etiam thallo subleproso-verrucoso, crassit. circiter 0,5 millim.

### 5. *Lecanora anoptiza* Nyl.

Thallus fuscescens tenuissimus opacus, passim evanescens; apothecia badio-lurida biatoroidea plana (latit. 0,2—0,3 millim.), margine subpallescente; sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,007—9 millim., crassit. 0,005—6 millim., epithecium fuscescens, paraphyses non bene discretae. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein fulvescens.

Super corticem trunci abietini ad Mont-Dore in Arvernia (E. Lamy).

Species ad *L. anoptam* accedens, ut videtur, at jam sporae breviores, saepe subglobosae, differentiam indicant. Gonidia versus perithecium in hypothecio intrusa. Spermatia arcuata, longit. 0,012—15 millim., crassit. 0,0005 millim. Affinior sit *Lecanorae Hageni*.

### 6. *Lecanora intercincta* Nyl.

Thallus umbrino-cinerascens tenuis opacus laevigatus rimulosus; apothecia atra opaca prominula plana (latit. 0,4—0,6 millim.), margine thallino firmo supra albicante cincta, intus obscura; sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,006—8 millim., epithecium fuscum. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens.

Super saxa quartzosa in Serra de Estrella jugo montoso Lusitanico (J. Henriques).

Species notabilis propriae fere stirpis inter stirpem *L. cervinae* et *L. cinereae* intermediae Thallus nec K nec CaCl reagens; locis substrati magis umbrosis decolor et subalbidus. Apothecia saepe umbonata; lamina eorum tenuis lutescens; paraphyses mediocres apice sensim subclavato infuscatae. Sterigmata sub-biarticulata; spermatia ellipsoidea, longit. 0,003 millim., crassit. 0,0015 millim.



Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0533-9

### 7. *Lecidea perparvula* Nyl.

Thallus macula albida obsolete indicatus; apothecia fusco-nigrescentia convexula immarginata (latit. 0,1—0,2 millim.), intus pallida; sporae 8nae ellipsoideae vel suboblongae, longit. 0,007—0,010 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim., epithecium fuscum, paraphyses non distinctae, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein fulvescens.

Super lignum abietinum vetustum in Arvernia ad Mont-Dore (Lamy).

Species peculiaris, quae facile disponatur prope *L. obscurellam*, nisi paraphyses obstarent. Spermatia subrecta bacilliformia, longit. circiter 0,006 millim., crassit. 0,0005 millim. Paraphyses molles parcae vel vix ullae.

### 8. *Lecidea decolorascens* Nyl.

Thallus albido-flavescens tenuis leprosus, passim subdispersus; apothecia versicoloria, lutescentia, luteo-livescentia, obscure aeruginascentia vel demum nigricantia, planiuscula aut convexiuscula, immarginata (latit. 0,5—0,7 millim.), intus incoloria; sporae 8nae incolores ellipsoideae vel oblongae, longit. 0,010—17 millim., crassit. 0,004—6 millim., paraphyses non bene discretae, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens.

Supra muscos destructos alpis Dzurowa in Hungaria (Lojka), socia *Lecideae milliariae.*

Species distincta, forsan prope *L. decolorantem* Flk. disponenda. Thallus subtiliter leprosus CaCl non erythrinice reagens.

### 9. *Lecidea caesiolepra* Nyl.

Thallus caesius leprosus mollis tenuis effusus subrimosus; apothecia fusca, leviter caesiopruinosa (latit. circiter 0,5 millim.), margine thallino evanescente; sporae 8nae incolores ellipsoideae 1-septatae, longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,004—5 millim., paraphyses submediocres apice inspersae. Iodo gelatina hymenialis dilute coerulescens, dein thecae fulvescentes.

Supra saxa arenaria et terram e quartzo dilabente formatam in insula Bréchou juxta Jersey (Larbalestier).

Species e stirpe *L. cyrtellae.* Thallus K flavescens; gonidia glomerulosa. Thecae turgide pyriformes. Spermogonia pallida.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0534-5

### *10. Lecidea rhyparophaea* Nyl.

Thallus obscure cinerascens vel fuscescenti-cinerascens, tenuis, tenuiter granulosus, effusus; apothecia fuscescentia vel obscure rufescentia, convexa, immarginata (latit. 0,5—0,7 millim. vel nonnulla confluenti-composita latit. circiter 1 millim.), juniora plana marginata, intus pallida; sporae 8nae oblongae 1-septatae, longit. 0,010—12 millim., crassit. 0,0025—0,0035 millim., paraphyses bene discretae, graciles vel gracilescentes, apice clavato-incrassato rufo-fuscescente, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens.

Supra saxa arenaria prope Bajesd in Transsylvania (Lojka).

Species e stirpe *L. cyrtellae* (ob spermogonia congrua) apotheciis omnino biatorinis, facie vero *Lecanorae erysibes* cujusdam. Affinis est *L. Lojkanae*, quae apothecia habet minora et thallum alium (cfr. Flora 1881, p. 450).

### *11. Lecidea ridescens* Nyl.

Forsan subspecies *L. geographicae* et ejus var. *atrovirentis* (L.) vel potius *L. viridiatrae* Flk. subsimilis, sed areolis thalli flavo-virentibus convexis subsparsis supra sorediosis vel sorediosо-erosis (sorediis concoloribus). Sporae longit. 0,025—30 millim., crassit. 0,012—16 millim.

Supra saxa quartzoso-trachytica, supereminentia oppidi Verespatak in Transsylvania (Lojka).

Reactionibus convenit sum *L. viridiatra.*

### *12. Lecidea plumbicolor* Nyl.

Thallus plumbeo-cinerascens verrucoso-crustaceus, granulato-verrucosus vel verrucoso-diffractus (crassit. 1 millim. vel tenuior), indeterminatus; apothecia nigra (saepius leviter caesio-suffusa), plana, innata, tenuiter marginata vel margine demum subevanescente, intus albido-cinerascentia; sporae 8nae incolores oblongae simplices, longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,003—4 millim., epithecium coerulescenti-nigricans, paraphyses mediocres, hypothecium inferius obsolete vage fuscescens. Iodo gelatina hymenialis bene coerulescens, dein obscurata et thecae violacee fulvescentes.

Super saxa quartzoso-trachytica in Transsylvania (Lojka).

Species videtur e stirpe *L. tenebrosae*, thallo nec K, nec CaCl, nec I reagente. Spermatia recta, longit. 0,008—0,011 millim.,

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0535-1

crassit. 0,0005–6 millim. — Non confundatur cum *L. subplumbea* Anzi, quae ejusdem coloris.

### *13. Lecidea praeducta* Nyl.

Thallus albidus tenuis areolato-rimosus indeterminatus; apothecia nigra plana, distincte marginata (vulgo latit. 0,5—0,7 millim.), intus concoloria; sporae 8nae oblongae simplices, longit. 0,009—0;013 millim., crassit. 0,0035—45 millim., paraphyses gracilescentes, epithecium fuscescens subinspersum, hypothecium fuscum. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein obscurata.

Super saxa porphyrica prope pagum dictum Mehádia in Hungaria (Lojka.)

Arcte affinis videtur *L. sarcogynoidi* (quae etiam thallo evoluto subsimili lecta a Lamy ad Rochechouard), sed apothecia hypothecii nullo strato medio diluiore praesertim differt. Thallus nec K, nec I reagens. Thalamium praesertim superne nonnihil violascens (K cum epithecio magis violascens). Epithecium acido nitrico rosello-violascens (praecedente coerulescentia). Spermatia bacilliformia recta, longit. 0,006—7 millim., crassit. 0,0006 millim.

### *14. Lecidea platycarpiza* Nyl.

Thallus albus vel albidus, tenuis, dispersus, inaequalis vel evanescens; apothecia nigra plana marginata (latit. 1—2 millim.), nuda vel pruinosa (margine nudo), intus nigra strato hymeniali albido; sporae 8nae oblongo-ellipsoideae, longit. 0,011—14 millim., crassit. 0,005—6 millim., paraphyses fere mediocres, epithecium sordide coerulescens, hypothecium fuscum. Iodo gelatina hymenialis intensive persistenterque coerulescens et thecae similiter tinctae.

Super saxa granitica umbrosa vallis Koprowa, Tatra, in Hungaria (Lojka).

Sumi possit pro *L. contigua platycarpa*, sed sporae multo minores. Apothecia majora quam in *L. meiospora*. Thallus nec K, nec I reagens. Epithecium Acido nitrico rosello-tinctum.

### *15. Arthonia psimmythodes* Nyl.

Thallus albus, tenuis, vel tenuissimus, subdispersus; apothecia innata maculiformia, rotundato-subangulosa, plana (latit. 0,2—0,3 millim.), intus albida; sporae 8nae incolores oblongo-oviformes 3-septatae, longit. 0,015—18 millim., crassit. 0,006 millim., epithecium fuscum, thalamium subincolor, hypothecium incolor.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0536-6

Iodo gelatina hymenialis bene coerulescens, dein vinose rubescens.

Super saxa arenaria ad Thermas Herculis in Hungaria (Lojka).

Species peculiaris et reactione thalli erythrinica, praesertim K (CaCl) effecta, notabilis. Apothecia sat sparsa vel rara. Thallus demum tenuiter rimulosus; gonidia chroolepoidea majuscula, sat parca.

### *16. Arthonia ruderella* Nyl.

Forsan subspecies *A. lapidicolae*, a qua differt praesertim apotheciis minoribus (latit. 0,1—0,3 millim.), epithecio et hypothecio fuscis vel fuscescentibus (nec dilute nigrescentibus).

Supra saxa arenaria et lapides calcareos in sylva Fontis-bellaquei (ipse) atque supra saxa gneissacea in Transsylvania (Lojka).

In *A. lapidicola* (Tayl.) epithecium aliud, subcontinuum, in *A. ruderella* subgranulosum; et in hac sporae lognit. 0,010—14 millim., crassit. 0,0035—45 millim.; in *A. lapidicola* longit. 0,012—18 millim., crassit. 0,004—7 millim. In *A. ruderella* thallus cinerascenti-obscuratus vel varians obscure ochraceo-cinerascens, tenuissimus, continuus,[1]) vel evanescens. — Ad *A. lapidicolam* pertinet *A. ruderalis* Nyl. (exactissime congrua cum typo Tayloriana *L. lapidicolae*) et quoque *C. Koerberi* Lahm., Arn. L. 722.

### *17. Verrucaria viridulata* Nyl.

Thallus sordide virens, opacus, tenuis, rimosus vel rhagadiosus, effusus; apothecia pyrenio integre nigro submediocria (latit. circiter 0,25 millim.), supra convexula prominula et a thallo obducta; sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,020—25 millim., crassit. 0,012—14 millim.

Supra saxa micaceo-schistosa infra alpem Retyezát in Transsylvania (Lojka.)

Species videtur distincta in stirpe *V. aethiobolae*, thallo virente opaco etc.

---

[1]) Singulari ineptia apud auctores inattentos vel inexpertos adhibetur terminus continuus (qui significat: non interruptus, non diffractus, non rimosus) eodem sensu atque terminus contiguus (qui significat: vicinus vel qui tangit). Significationes eorum tamen sunt dissimillimae.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0537-2

*18. Verrucaria subcincta* Nyl.

Thallus albus tenuissimus indistinctus apothecia; pyrenio dimidiato-nigro (latit. 0,3 millim. vel minore), supra depressula (inde facile lecideiformia); sporae 8nae ellipsoideae oblongae, longit. 0,015—20 millim., crassit. 0,006—7 millim.

Supra saxa calcarea in Hungaria prope pagum Teplicska (Lojka).

Species fortasse distincta in stirpe *Verrucariae muralis* prope *V. truncatulam* disponenda. Apothecia basi circumcirca thallodeo-obducta, superne denudata. Gonidimia sat parca, glomerulosa. Variant apothecia nuda.

*19. Verrucaria glauconephela* Nyl.

Thallus macula albido-glaucescente opaca indicatus, ambitu subalbicante; apothecia pyrenio dimidiatim nigro (latit. fere 0,2 millim.), convexo, sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,012—15 millim., crassit. 0,006—8 millim.

Super saxa calcarea occulta ad Budapest (Lojka).

Species forsitan distincta, accedens ad *V. limitatam* Kphb.; thallo autem nullis lineolis obscuris limitantibus gaudente.

*20. Verrucaria epomphala* Nyl.

Thallus tenuissimus laevis, macula albida indicatus, passim lineis obscuris sinuosis limitatus; apothecia supra nigra, parum turgidula (latit. circiter 0,5 millim.), epithecio umbilicato-depresso, parte immersa (subcalcivora) incolore; sporae 8nae oblongae 5-septatae (intercedente aliquando uno alterove septulo longitudinali sensu interducto), longit. 0,036—40 millim., crassit. circiter 0,016 millim.

Super lapides calcareos subinundatos prope pagum Ponor-Chaba in Transsylvania (Lojka).

Species distinguenda sit affinis *Verrucariae Sprucei* et *rugulosae*. Gonidimia glomerulosa.

*21. Verrucaria circumpersella* Nyl.

Thallus vix ullus visibilis; apothecia pyrenio integre nigro subglobulosa prominula (latit. 0,1—0,2 millim.); sporae 8nae incolores oblongo-ellipsoideae 3-septatae, longit. 0,018—24 millim., crassit. circiter 0,008 millim., paraphyses nullae. Iodo gelatina hymenialis dilute vinose rubescens (protoplasma thecarum intensivius tinctum).

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0538-8

Super lapides calcareos submandatos in Transsylvania (Lojka), socia *Verrucariae cataleptoidis* Nyl.

Comparabilis cum *V. interspersella* Nyl. in Flora 1884, p. 182, sed in hac sporae minores (longit. 0,017—22 millim., crassit. 0,006 millim.), paraphyses gelatina hymenialis non tincta etc. differentiam mox indicant, nec ambae ejusdem sunt stirpis. *V. circumspersella* potissime pertineat ad stirpem *V. pyrenophorae*. Thecae molles.

## Observationes.

1. *Parmelia omphalodes* var. *leucodes* Nyl., fere *panniformis*, sed thallo pro maxima parte glauco-albicante, laciniis subconvexulis, notabilis. In Lusitania, Serra de Estrella (J. Henriques). — Physciiformis, sterilis modo visa. Ulterius observanda.

2. *Parmelia physodes* var. *obscurata* Ach. Syn. p. 218. Nomen hocce vix conservandum est, nam facile propriam speciem respicit atque adest jam subspecies alia generis dicta *obscurata*. Illa mihi saltem subspecies est *Parmeliae physodis* et nominetur *P. austerodes*. Differt thallo versicolore, partim badio-fuscescente, subrosulato, facile rugoso et isidioso (isidio papilloso conferto in speciminibus e Dovre reportatis a cl. Norrlin in fasciculisque proximis distribuendis). Apothecia nondum visa. — Notetur hic obiter, *P. physodem* cum affinibus fere subgeneris esse proprii, defectu rhizinarum distinguendi (*Hypogymnia*).

3. *Physcia dimidiata* (Arn. L. 272) fere est propria species, accedens ad *Ph. albineam*, sed thallo planiore, laciniis brevioribus latiusculis, saepe margine sorediosis. Saxicola, ad Eichstaett (Arnold) ad Força-real in Pyrenaeis orientalibus (ipse), ad Budapest (Lojka). — *Ph. tribacia* (Ach.) facile distinguitur laciniis imbricatis et apice digitato-crenatis.

4. *Heppia tenebrata* Nyl. in Flora 1874, p. 310. Thallus niger verrucoso-inaequalis diffractus (crassit. circiter 0,5 millim.), ambitu passim subplacodizans; apothecia subrufescentia lecanorina (latit. fere 0,3 millim. vel minora), margine thallino crassulo cincta; sporae circiter 24nae (in thecis fusiformibus), subglobosae, diam. 0,005—6 millim., paraphyses mediocres articulatae. Iodo gelatina hymenialis vinose rubescens, praecedente coerulescentia. — Etiam in Transsylvania super saxa calcarea prope Petro-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0539-6

seny (Lojka). — Species eximia proxima *Heppiae purpurascenti* Nyl., quae thallum habet tenuiorem, apothecia purpurascentia, sporas majores etc. Sed in *H. tenebrata* etiam thalamium passim purpurascit et quoque invenitur passim sub thallo pigmentum purpurascens (quod K violascit).

5. *Lecanora castanoplaca.* Sic nominetur thallus sterilis castaneus vel aquilinus placodiiformis, sat tenuis, intricate et subimbricate congestus, ambitu radiante arcte adnato, radiis contiguis (latit. 0,2—0,3 millim.). Sterigmata pauci-articulata, articulis turgidulis; spermatia oblonga, longit. 0,003—4 millim., crassit. 0,001 millim. vel nonnihil crassiora. Forsan pertinet ad stirpem *Lecanorae sophodis*, sin sit *Physcia.* — Super saxa gneissacea in Transsylvania (Lojka no. 2324).

6. *Lecanora elaeoplaca.* Etiam sterilis modo visa, thallo olivaceo deplanato, toto adpresso, areolato-diffracto et rhagadioso, ambitu lobato-radiante, divisionibus planioribus latioribusque et rhagadiose inter se discretis. — Super saxa siliceo-argillacea prope Budapest (Lojka). — Forsan affinis priori, sed incerti adhuc generis. Thallus humido statu viret.

7. „*Lecanora melanophaea* Fr. (*Urceolaria Oederi* Schaer.)" Muell. est omnino *L. cinereorufescens* f. *diamarta* Whlnb.

8. *Lecanora erysibe* * *submundula* Nyl. Thallus pallido-cinerascens tenuis subinaequalis, minute areolato-rimulosus; apothecia carneo-lutescentia, demum convexula (latit. 0,5 millim. vel minora), juniora marginata margine fuscescente; sporae fusiformi-oblongae, 1-septatae, longit. 0,011—16 millim., crassit. 0,0035—45 millim. — Supra saxa calcarea circa Thermas Herculis in Hungaria (Lojka). — Vix nisi varietas *L. erysibes*, thallo pallido subsquamuloso-areolato firmulo. Sporis aliquanto majoribus differt et paraphysibus a *L. proteiformi* var. *sylvestri* (Arn.) vel *umbratica* Arn. (sporis longit. 0,009—0,012 millim., crassit. 0,003—4 millim.); sed „*proteiformis*" sensu massalongiano etiam *erysiben* complectitur atque revera illa, meo sensu, modo est subspecies hujus (*erysibes*). Sub *erysibe* etiam disponendae sunt *detractula* Nyl. in Flora 1875, p. 444, et *subcaesia* Nyl., sed ipsa *alburiella* Nyl. ut var. sub *L. proteiformi* sensu definitiore hic indicato.

9. Observetur, *Pertusariam bryontham* (Ach.) thallum passim habere albo-sorediosum, quae soredia CaCl erythrinose reagunt. Apothecia pallescentia (primitus sunt pallida) similem reactionem praebent.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0540-7

*10. Pertusaria lactea* (Schaer.) bene fertilis lecta prope Singlér in Hungaria (Lojka.). Apothecia alba vel albida, lecanorina, supra subleprosa (latit. 0,5—0,7 millim.), margine thallino irregulari cincta; thecae monosporae, sporae longit. 0,180—0,205 millim., crassit. 0,0065—70 millim.

*11. Lecidea absistens* Nyl. in Flora 1869, p. 295, ut subspecies consideranda sit *L. endoleucae*, apotheciis intus albidis (nec pallidis), sporis tenuioribus et epithecio coerulescente K non violascente. Etiam in Hungaria abieticola (Lojka).

*12. Lecidea denigrata* f. *sublivescens*, thallo obsoleto, apotheciis sublivescentibus (transire videtur in * *hemipoliellam* Nyl. in Flora 1875, p. 11). Super corticem pini in Hungaria (Lojka).

*13. Lecidea clavulifera* Nyl. thallo albo granulato dispersulo et variante subvirescente et variante simul fatiscente. Super saxa gneissacea umbrosa alpis Dawrowa in Hungaria (Lojka).

*14. Lecidea fuscoviridis* Anzi. Ad definitionem in Flora 1881, p. 456, datam addendum est, thallum saepe laeviorem obvenire et subareolato-rimulosum, interdum simul sorediellum.

*15. Lecidea saxigena* Uloth., Hepp Flecht. 510, saltem sicut var. differt a *L. ternaria*, apotheciis nigris saepe immixtis subpallescentibus et interdum subsmaragdescentibus, sporis longit. 0,011—17 millim., crassit. 0,0035—45 millim. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvorubescens. Occurrit etiam lignicola.

*16. Lecidea exsequens* Nyl. in Flora 1881, p. 179, thallum rite evolutum habet obscure cinerascentem tenuissimum continuum rugulosum, gonidiis glomerulosis. Supra lignum fagi in Hungaria (Lojka).

*17. Lecidea plana* f. *perfectior* dicenda quae thallum habet cinerascentem granulato-verrucosum, magis evolutum, determinatum (crassit. 0,2—0,5 millim.). Saxicola in alpibus Tyroliae, Mittelberg (Arnold) et in Transsylvania supra Verespatak (Lojka). Sporae longit. 0,008—0,012 millim., crassit. 0,0035—45 millim. — *F. perfecta* Arn. L. 759 thallum habet minus evolutum vel sublaevigatum rimosum.

*18. L. polycarpoides* Nyl. in Flora 1875, p. 105, dicatur *Lecidea pericarpoides*, ne confusio adsit cum *L. polycarpoide* Muell. Etiam *L. pericarpoides* prope Predazzo in Tyrolia supra syenitum (Arnold).

19. *Lecidea Muverani* Muell. microgonidiologi vix differt a *L. coerulea (nuda)* Arn.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0541-3

*20. Lecidea aglaeotera* Nyl. in Arn. L. 469 forsan subspecies sit *L. armeniacae* (DC.) differens thallo pallido-lutescente crasso (crassitie circiter 1 millim.), concreto, areolato-rimoso, apotheciis innatis subconcaviusculis. Minime congruit cum *L. armeniaca* var. *lutescente* Anzi, quacum ea male jungitur in Arn. L. 469 b (illi thallus areolatus, apothecia superficialia convexula).

*21. Lecidea subcinerascens* Nyl. subspecies fere *Lecideae disciformis*, cui similis, sed thallo cinerascente indeterminato subgranulato-inaequali tenui subdisperso vel evanescente (K—). Supra ligna tectorum in Hungaria. Spermatia bacilliformia, longit. 0,004—5 millim., sterigmata articulis vulgo 2, turgidulis.

*22. Verrucaria subnigricans* Nyl. (sub *V. virente* in Norrl. Kar. Oneg.) vix sit nisi var. vel subspecies *V. virentis* Nyl., thallo umbrino-nigricante crassiusculo verrucoso areolato-diffracto, pyreniis incoloribus. Sporae oblongae, longit. 0,016—20 millim., crassit. 0,007—8 millim. Supra saxa calcarea et subcalcarea in Suecia, Finlandia et Hungaria. — In *V. obfuscante* Nyl. thallus laevior.

*23. Verrucaria integra* var. *obductilis* Nyl., apotheciis superne prominulis thallodeo-obductis. Sporae longit. 0,023—33 millim., crassit. 0,012—16 millim.

*24. Verrucaria hymenogonia* Nyl. variat apotheciis rugosis vel subrimoso-rugosis; variant ea etiam cinerascenti-suffusa.

*25. Verrucaria pertusula* Nyl. forsan ut subspecies considerandа est *Verrucariae Sprucei*, accedens ad *calcivoram* Nyl. et praesertim differens ostiolis minutulis (latit. vix 0,1 millim.), supra foramine substrati visibilibus et saepe foramine hoc prominulo thelotremoidello. Sporae 3-septatae, longit. 0,035—50 millim., crassit. 0,014—18 millim. Supra saxa calcarea ad Cauterets in Pyrenaeis (E. Lamy). Thallus (vix verus) solum macula umbrino-fusca indicatus.

*26. Verrucaria glaucina* Ach. ex hb. Mougeot. esset *V. polysticta* Borr.; ita determinationes vetustae vacillantes, quod non est mirum.

*27. Verrucaria pluriseptata* Nyl. Pyrenoc. p. 58. Hic satius definiatur. Thallus vix ullus visibilis; apothecia pyrenio dimidiatim nigro (latit. fere 0,2 millim.), convexa; sporae 8nae incolores oblongae 5-septatae, longit. 0,016—20 millim., crassit. 0,005—6 millim., paraphyses molles crassiusculae breviusculaeque. — Super cortices laeves in Italia, Gallia, Helvetia, Hungaria. — Species est e stirpe *Verrucariae epidermidis*. Para-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0542-9

physes parum altitudinem thecarum excedentes. Spermatia tenella recta, longit. 0,0035 millim., crassit. 0,0005 millim.

Parisiis, die 1 novembris 1881.

---

## Brachythecium Venturii nov. sp.

Pflanze dem *Brachythecium populeum* B. S. oder beziehungsweise *Eurhynchium velutinoides* B. S. habituell sehr ähnlich und auch von der Grösse und Stärke des ersteren.

In dichten, gelbgrünen, seidenglänzenden Rasen. Hauptstengel niederliegend, bewurzelt und mit langen, aufstrebenden Aesten, welche entweder fast einfach oder wieder reich, ja gegen die Spitze hin sogar oft büschelig verzweigt sind, besetzt. Blätter der primären und secundären Achsen aus breiter Basis gleichschenkelig-dreieckig und in eine lange, gezähnte Spitze auslaufend, meist ungefurcht und nur am Grunde am Rande etwas umgerollt. Blätter der Aeste 3. und 4. Ordnung bedeutend schmäler, länglich-lanzettlich, mit bis weit hinauf umgerollten Rändern und nicht selten mit je 1 Falte zu beiden Seiten der Rippe; letztere in allen Blättern sehr stark und erst in der Spitze sich auflösend; Zellen prosenchymatisch, die mittleren etwa 6 Mal so lang wie breit und schwach gewunden, die unteren über der Blattbasis quadratisch oder kurz-rectangulär und 4—5 deutlich hervortretende Querreihen bildend, sämmtlich chlorophyllreich und auch die unteren durchscheinend.

Blüten einhäusig. Perigonialblätter eiförmig und kurz zugespitzt; innere Perigonialblätter in eine lange, stark gezähnte Spitze ausgehend und stark gerippt.

Bis jetzt nur steril bekannt. Von Dr. Venturi in den Hochalpen bei Trient in Tirol im Fleimsthal, Valle Lazorai, nicht fern vom See bei 1800 m. Höhe auf der Erde und an Steinen (Porphyr) gesammelt und mir freundlichst mitgetheilt. Im System dürfte das Moos vorläufig, so lange noch nicht Früchte gefunden worden sind, neben *Br. populeum* einzureihen sein.

Hinsichtlich seiner Vegetationsweise erinnert dasselbe auffallend an zarte Formen der *Br. albicans*, welches auch häufig mit einfachen oder gegen die Spitze fast büschelig verzweigten secundären Aesten vorkommt; durch die sehr starke bis in die Spitze fortgeführte Rippe, durch den breit umgerollten Blatt-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0543-5

# ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1881

Band/Volume: 64

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam 529-541